

Vt autem hæc sunt differentiæ in ingenij humānis non institutis educatione al-
qua, uel legibus, uel disciplinis, ita similes sunt differētiæ in humanis naturis, societa-
te hominum, artibus atq; disciplinis excultis. Quædam enim ad disciplinarum ar-
tiumq; institutiones naturaliter, & motu mentis proprio inclinantur, eas amant, di-
scunt, exercent, illiscq; morem gerunt, & admiratione earum capiuntur, Quædam au-
tem ita sunt affectæ, ut non solum naturaliter oderint artes, easq; contemnant, nec
quidq; operæ illis concedant, sed etiā earum cultores prosequantur odijs & male de-
ijs sentiant, conenturq; eos à motibus suis honestis, ad Cyclopicam ferociam & igna-
uiam, uoluptatibus, ac ocij deditam cogere.

Contra hæc monstra utiliter Scholæ sunt institutæ ab antiquitate, & in ijs Prä-
ceptores magno cum fructu præficiuntur. Nam in scholis præceptorum admonitio-
nibus bonorum mentes adiuuantur, tum ut artes, ad quas naturaliter feruntur, tan-
to faciliori labore possint assequi, tum uero ut Cyclopum impetus, & naturas repre-
s mere atq; longe ab artibus arcere possint.

Hæc dum cogito, amplissimi ac honestissimi uiri, patres ac domini obseruan-
tissimi, patris mei amantissimi Ioannis Schoneri iucunda recordatio occurrit animo
meo. Cuius mentē, animi motus, consilia & doctrinam, & si non potuerim præ ado-
lescentiæ meæ imbecillitate penitus introspicere, tamen memor sum eum cum ami-
cis, & familiaribus suis, qui frequenter ad eum uisendi gratia ueniebant, saepè disse-
rere de astrorum motibus, naturis, de eorum uiribus & actionibus. Memor sum
etiam, eum iuuentutem (quæ ei in eiusmo di disciplinis erudienda commissa erat à
uestra Prudentia & Amplitudine) hortari ad harum rerum contemplationes. Vi-
di eum saepenumero demonstrare adolescentibus proprijs organis, aut etiam linea-
ribus demonstrationibus, nonnunq; uero computationibus Mathematicis, motus ua-
rios siderum, eorum magnitudines, & mille distantias. Audiebam eum docere iu-
uentutem de uiribus & potentijs eorum, quas non in humanam naturam, & in hu-
manos euentus tantum habent, sed etiam in omnia quæ ex elementis constant. Sa-
pè astra non signa tantū esse aiebat, quemadmodum Trophæa olim uictoriae signa-
erant, sed affirmabat ea esse causas agentes, ut ex quibus in omnibus ex elementis
compositis mutationes, & euentus subinde producerentur, atq; ob has actiones si-
dera etiam signa esse aiebat.

Non erat pater amans ocij, si familiares & amici aberant, si docendi munus eo
die perfecerat, uel scribendis iudicijs incumbebat, uel computabat, uel etiam ad astra
oculos dirigebat, aut instrumentis conficiendis operam dabat. Hæc in patre meo
animaduertebam, dum circa eum in adolescentia mea uersabar, ac nunc quidem
conijcio ex his uitæ suæ actionibus, eum relictis quotidianis curis domesticis & vo-
luptatibus, ad cognitionem siderum, & harum artium amorem admodum inclina-
tum fuisse, cum eis assidue indulserit.

At in hac iuuenili mea ætate cum incido in patris mei monumenta, ac ea accur-
tius introspicio, Quos labores? Quas curas? Quas deniq; lucubratioes nocturnas in
eo depræhendo? Animaduerto enim quod artibus Mathematicis & Astrologicis
intereuntibus propemodum ante suam ætatem, ipse primus hac nostra ætate
subuenerit opera sua. Cum enim naturæ beneficijs, & institutione adiutus eas exer-
cendas in manus sumpserit, ipse multa in eis inuenit ex seipso, maiorum autem ope-
ra recognouit, & docendi aditum ad eas iuuentuti patefecit.

Accum Ioannis Regiomontani opera quæ reliquit in his artibus Europæ,
prope